





BIBLIOTECA CENTRALE DI MEDICINA - TRIESTE

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

MELANCHOLIAM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA IN ANTIQUISSIMA ATQUE CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ANTONIUS ROTHANSL,

Bohemus Richnoviensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 20 Maji 1837.

VINDOBONAE.

TYPIS J. P. SOLLINGERI.

MDCCCXXXVII.

Ψυχὴ, βλήθων ἄνω, ξέλων δ' ἐπιληθεο παντων.
Aspice, mens, sursum; peregrinaque âespice cuncta. —

ILLUSTRI DOMINO

ADOLPHO GROHMANN

CAES. REG.

NEGOTIATORI MAGNARIO LICENTIATO.

V I R O
HUMANITATE, BENEVOLENTIA
AEQUE AC
SCIENTIA INSIGNI,
FAUTORI AESTUMATISSIMO
I N
PERPETUUM GRATI DEVOTIQUE ANIMI
MONUMENTUM
SACRAS ESSE VULT HASCE
STUDIORUM PRIMITIAS

DEVINCTISSIMUS
AUCTOR.

Morbi denominatio.

Quibus affectus et passiones praevalentes cum magno ad perperas atque perversas actiones nisu uniuntur, morbi psychici passionis praepotentia atque voluntatis imperio limitato, circumscripto distinguuntur. Ut itaque, quem tractaturi sumus, morbus intellectus alienationem cum animo prostrato sistat, circa eandem repraesentationem aut eandem repraesentationum seriem continuo rotantem ita, ut ejusmodi in phantasia fixe haerens repraesentatio totius vitae psychicae centrum constituat, atque sola mentem voluntatemque dirigat definiatque.

Veteres cuique, et psychico, morbo fomitem materialem supponentes hanc mentis alienationem melancholiam denominarunt, ut cui atram bilem (*Χολην την μελαίνην*) rationem subesse rati sunt. Quae tamen mentis perturbatio quum hominem correptum in tristitiam adfligentem disponat, insaniam tristem vel lypemaniem (*α λυπεω* dolore afficio et *μανια*) ritis dicendam esse consensimus.

D i v i s i o.

Quum quod intellectum decipit, phantasiae ludibrium toties mutari possit, ac cui imaginatio adhaeret, objectum variat: infinita inde propullulat melancholiae specierum copia; quas tamen, prouti in praxi frequentiores occurrunt, ad sequentes restringere consultum:

- a) **Melancholia superstitiosa, daemomania.** Sunt rudes, nec non feminae steriles, quae cum daemone consortium inivisse, in eo et per eum miranda praestare, sanos invalidos, et aegros firmos reddere se etc. sibi imaginantur.
- b) **Melancholia religiosa,** qua qui capiuntur, aegri peccata Dei venia superiora commisisse, ad tartara se rejectos arbitrantur.
- c) **Melancholia amatoria, erotomelancholia.** Objectum, in quod amore invincibili et immoderato ducuntur, vel sibi imaginantur, vel quod praesens est, exaltatae phantasiae coloribus vividissimis depingunt, atque ejusdem ardente desiderio consumti dehiscunt.
- d) **Melancholia anglica, Autochiria,** quae vel sub vitae taedii persona occurrit, ex voluptatum ad sublime usque culmen elatione et nata inde saturatione, aut ex mali cujusdam praesentiam jamjam tangentis vel posteritatis nubibus obvelati et sine sufficienti ratione

eventuri anxia expectatione orti; vel mortis fuga manifestatur, ubi qui somatice bene valent, aegri faciemque sanam offerunt, ne moriantur, timore continuo anguntur: et veluti alii constanter queruntur coram amicis; quod vultus prodit, pertinaciter celare student alii; alii ideam illos sine mora persequentem suicidio delent.

- e) **Melancholia phrontis** ubi ne fame pereant expavescunt.
- f) **Melancholia attonita.** Aeger statuæ lapideæ adinstar immobilis riget, sive stet, sive sedeat aut cubat; oculi jam clausi, jam anxie circumspicientes, quin quod extra eos contingit, in nexu animadvertant; aeger nec potum nec cibum sibi deposcit, quem tamen, si porrigitur, amens devorat, vel taciturnus haeret, vel brevia verba facit.
- g) **Melancholia errabunda.** Nec mora, nec requies aegro conceditur; nunc anxius fugit, nunc errabundus migrat, est illi constans; sed sine fine motus loca inquit solitaria et per silvas errare opacas tumulosque invisere gaudet.
- h) **Melancholia occulta.** Utut externum componunt habitum mente capti, ne suspicionem quidem haberes animi perturbationis, quam tamen doloso produnt apparatu, quo quae occulte machinantur, consequi adnituntur.

Pathogenia et aetiologia.

Melancholia in summa onius, omnes reliquas excludentis, ideae intensitate consistit, quae quasi omnes mentis facultates in se rapit consumitque. Oritur vero ex repraesentationibus et sensationibus morborum, inamoenis, phantasiae pertinaciter inhaerentibus ac continuo et eminenter sese renovantibus, quas quae excipit, voluntatis manifestatio limitata qua effectus sequitur, quarumque originem in statu abnormi, quae phantasiae imperium agnoscunt, organorum systematis cerebri quaeramus oportet; soluto enim, qui dicta organa unit, concentu harmonico singulorum solum persistit pertinax vel circumscripta exstimulatio cum isochrona reliquorum vitae suppressione vel exhaustionem, ut cujus asserti argumentum causae occasionales morbi quoque symptomata firmissimum sistit.

Quae melancholiam provocant, causae omnes vitam in systemate nervoso vigentem per latiore peripheriam vel exaltant, vel debilitant aut supprimunt. —

Sed et symptomata ex melancholia laborantium observatione collecta actionem vitalem ad pauca duntaxat systematis cerebri puncta restrictam et in reliquis debilitatam aperte declarant; caenesthesia enim et reliqui sensus obtunduntur, imaginatio hebet, memoria madet, motus voluntarii torpent atque ac-

tionis vitalis scintilla, ut ita dicam, sub cineribus sola delitescit, quae uni vel pluribus repraesentationibus, seu potius earum imaginibus, in certis imaginationis organis reproducendis adhuc sufficit, unde continua melancholicorum circa eandem ideam rotatio, semperque ejusdem imaginis resuscitatio, torpentibus reliquis viribus psychicis.

Ex quibus patet: melancholiae causam proximam in organorum phantasiae et autocratiae statu abnormi quaerendam esse et vitalitati vel cohibitae vel exaltatae vel concentui, in quem actiones variae et omnes conspirant, sublato irradicari.

Ut quod hucusque statuimus, argumentum eo fortius valeat, causas quoque remotas, prout virium modesta concedit exilitas adumbrare conabimur, et quam nil impediat, quo minus, quem veteres ad discrimen facilius obtinendum in dispescendo causarum agmine habuere, morem sequamur, eas hic tali ordine exponemus, ut proëgumenas, ut dicunt, primo, procatarcticas deinde illustremus. Quum vero tum quod in melancholiam disponit, tum quod eandem gignit, momentum nunc somaticis, nunc psychicis magis rationibus arctius implicetur; etiam hujus in subdivisione rationem habeamus, ratio suadet.

A. Causae proëgumenaë.

a) Somaticæ.

Si quibus atrium panditur et noxarum faciliores evolvuntur effectus, circumstantiæ concurrunt, ad melancholiam prompta aderit dispositio. Pertinent vero huc :

- α) Aetas animi pathematibus prae reliquis exardescens, juvenilis et virilis.
- β) Peculiaris vitae modus, quo homines donati pusilanimitate, diffidentia, quae quod corda movet, aliis communicare vetat, timore praeterea, anxietate et locorum solitariorum amore distinguuntur. Veteres jam ad id attenti temperamentum illud melancholicum nominarunt.
- γ) Sunt quaedam hominum occupationes, quibus phantasiae prae ceteris mentis facultatibus praepondium justificatur, vel pathematum mutua exaestuatio inducitur et ideo, qui inter cerebri functiones diversas viget, concentus facillime subvertitur. Exinde cur poësiæ, musices, sculptoriae nec non pingendi artis gnari, cothurnis induti et quorum talia sors iniqua mutat, opifices vitam sedentariam gerentes, uti sutores, textores etc. adeo frequenter melancholia confundantur, sat clare perspicitur. Homines porro inertia emolliti, ad vitam segnem seducti, vel ex laboriosa miseraque otiosam lautamque subito ingressi, ex inaequali virium

mentalium exercitio in cogitationes submersi primum, morosi paulatim et melancholici evadunt.

- δ) Confert et constitutio haereditaria, experientia enim sancitur, a parentibus, malum ad liberos transplantari.
- ε) Varia abdominalium organorum vitia melancholiae non raro subsunt, uti sunt: haemorrhoides, stases in systemate venae portarum, infarctus, indurationes aliaque vitia viscerum.
- η) Pertinent huc tandem omnes potentiae, quae vires cerebri vitales vel justo magis exaltant vel exhauriunt vel supprimunt, de quibus tamen, quatenus diutius vel vehementius agentes ad excitantium dignitatem evehuntur, commodius infra disserturi sumus.

b) Psychicae.

Ne per quosvis adpulsus alienos intempestive afficiatur homo, voluntas renititur, et ne cuivis pathemati intumentum temere succumbat, suprema ratio dominatur. —

Haec nunc inter intellectum animumque ratio educatione minus conformi invertitur ita, ut quod rationi debetur, dominium animus sensilis perperam sibi adroget, omnique affectu, qui jam est insania temporaria, facile abreptus hinc illinc jactatus voluntate minus resistat atque pathematum lusu dilaceratus penitus succumbat.

B. Causae procatarticae.

a) Physicae.

Quae melancholiae excitandae pares sunt, noxae vel immediate in ipsis organis centralibus effectus actionis pandunt et hactenus idiopathicas gignunt mutationes: vel vero earum applicationis sequelae a peripheria, mediante multiplici cerebri cum nervis periphericis unione, ad interiora usque pergunt et quum, ubi firmas radices fixerant, non conquiescant, sed altius brachia tollant, anomalias sympathicas producunt. Quae hoc agunt modo, sunt: praeprimis quae immediate cerebrum ejusque actionem excitant atque pervertunt, uti abusus spirituosorum, praecipue cremati; hinc qui spirituosis adeo delectantur, Angli melancholia frequenter corripuntur. — Simili fere modo narcotica agunt, uti Opium, Belladonna etc. etiam qua medicamina usurpata, praecipue infantibus porrecta, quid quod et lactis continuatus usus tristitiam inducere fertur *).

Referuntur quoque huc omnes per consensum vel oppositionem in cerebrum agentes irritationes, uti irritationes in abdomine, infarctus, stases in systemate venae portarum, obstructions, physconiae viscerum, helminthes: nam quae in nervo splanchnico supprimitur vel debilitatur, actio vita-

*) Esquirol, allgemeine und spezielle Therapie der Seelenstörungen.

litati cerebri exaltandae vel alienandae rationem recludit. — Asthenia cerebri vel ex debilitate universali, vel ut frequentissime fit ex Veneris abusu, ex onania etc. — Metastases ad cerebrum, praeprimis ex arthritide, scabie, herpete, ulcere suppressis orta *). — Laesiones mechanicae et vitia organica nonnisi raro melancholiae originariam causam sistunt.

Quantum vero influxus cosmici ad gignendum hocce malum contribuant, experientia docet; nam qui altas incolunt regiones, homines si coelum mutant, tristes evadunt et melancholiae succumbunt; symbolam et venti, aquae, aër nebulosus, humidus, vel ex opposito siccus, ardensque, tempus aequinoctiale contribuunt.

b) Psychicae.

Quidquid animum deprimit, mentis facultates supprimit, exhaustit et obtundit, Melancholiae origini favet. Pertinent vero huc exercitatio facultatum mentis neglecta, expolitio ejusdem inaequalis, circumscripta, exercitium immodicum, pathemata diuturna, vehementia, affectus undantes, deprimentes; terror, ira, amor, timor, tristitia, zelotypia, invidia, odium, spes vana, honoris concupiscentia, ambitio; calamitates et angustiae rerum; conscientiae morsus, religionis exercitia severa, mysticismus, quo seductorum numerus melancholico-

*) Pinel traité de la manie.

rum cito increscit ita, ut melancholia endemicum, imo epidemicum characterem assumat; vigiliae tandem et agrypnia; quotidiana etenim psyches actionem suspensio atque interruptio ad illius statum normae congruum sustinendum perquam necessaria existimatur.

Per dictos nunc influxus psychicos mentis perturbatio exoritur, quae vero in continuam melancholiam nonnisi tum vertitur, quam permanens producit in phantasiae et voluntatis organis status abnormis, id quod influxibus psychicis contingere solet. Nam influxus psychicus vitalitatem horum organorum regit; vitalitas externa vero reagit in processum vitalem internum et hic iterum in processum horum organorum reproductivum.

Decursus et terminationes.

Si quae melancholiam progignere valet, causa egerit, mox quae morbum significant, phaenomena regulari quadam successione sese annuntiant, quin quod in mania solitum, morbus subito quasi enucleatus adsit. Deinde regulariter deccurrit, nisi quae fors accedunt; circumstantiis alia symptomatum series, alia successio, aliudque existentiae tempus ponatur. Accessus vero ipse aequali continuo intensitate viget, vel a suo remittit tenore, et quo aeger ad statum normalem proxime accedit, inter-

vallum lucidum nunc acutis praescindit finibus, latius extendit et aut regulariter recurrit, aut secus. Quae remittit, melancholia in praxi frequentissima post epulas plerumque lenitur, atque sub jejunio recrudescit. Periodice recurrens morbus non determinata sequitur intervalla, et jam serius, jam ocyus revertitur. Unus, quem ipsimet vidimus, aeger id peculiaris manifestavit, quod barba abra-sa, quacum et vires sibi demi contenderat, magis confunderetur, qua de re intonsum semper vagari permittebant.

Si quomodo terminetur melancholia quaeris, legem quandam definitam hac in re omnes morbos sequi et vel in sanitatem exire, vel in mortem ruere, vel relictum recuperare cursum, vel aliis morbis excipi, in memoriam revoces oportet.

Sanitatis restitutio rara contingit, estque ut celeb. Hufeland refert, sanabilium ad insanabilium numerum ratio ut 1 : 5; et si hic optatus accidit eventus, tunc id per discernentes fit evacuationes criticas; vel cutis functione restituta uberior fit sudoris proruptio, vel exanthematum apparitio; aut ventriculi a materia nigra vel brunescente mucosa, biliosa, sanguinea per vomitum evacuatio contingit; aut si quae suppressa subsit se vel excretio, melancholiam fausta hujus aufert revocatio. Ita saepe per arthritidem, scabiem, herpetem *), haemorrhagias, icterum, febrim ipsam intermittentem etc.

*) Pinel traité de la manie.

solvitur melancholia. Facilius quoque sanatur, quae recens est, ex causis levibus, facileque amovendis orta, sine complicatione decurrens et cui justa therapia opponitur, melancholia.

In mortem immediate vix unquam melancholia ruit, nihilo tamen minus in quos transire solet, morbi adeo sunt graves, ut renitentem in organismo vitam penitus extinguant et deplorandae melancholici sortis miserias letheis consopiant undis; et sunt vel sensibilitatis morbi vel reproductionis mala, ut apoplexia, epilepsia, paralysis, tetanus; febris consumtiva, lenta, phthisis, hydrops, scorbutus. Sunt et alii morbi psychici, qui melancholiae posthuma constituunt, uti mania, et excipiens hypernoiam anioia, paranoia etc.

P r o g n o s i s.

Ex recens adductis, quid in melancholia sperandum quidve timendum, luculenter patet. Ubi quae reducendae sanitati favent, et quae supra monuimus, momenta adsunt, felix praefari posumus augurium; nam quo simplicior atque recentior morbus, quo levius fixa repraesentatio menti insculpta est et quo facilis aliis paulatim cedit voluntatisque subjicitur imperio, eo felicior in genere eventus. Ubi vero profundas per tempora fixerit radices, ubi aliis simul a se independentibus vel sua potentia progenitis morbis complicata fuerit melancholia, ubi

porro uni soli ideae submersi aliis impressionibus pertinaciter resistant aegri atque invincibili pathemate obruti moereant, prognosis minus fausta admittitur.

Plus quoque solatii melancholia recludit ex retropressis evacuationibus physicis aliisque causis materialibus amovendis orta, quam cui constitutio haereditaria, pravus vitae atque conformationis organicae modus, vitia organica fomes. Quae phanatismo et mysticismo irradicatur, et quae per longas periodos extenditur, melancholia raro sanatur. Si jam in alios morbos transiverit, vel alios sibi mater soboles adjunxerit, tum ex illorum morborum natura depromendum, quantum spei pro felici terminatione haurire liceat.

T h e r a p i a.

Fixa, quam melancholici conceperunt, idea intellectus omnes devorat facultates et in curando hoc morbo summam difficultatem opponit, unde tam inaequalis sanatorum ex melancholia ad insanabiles proportio.

Organi centralis abnormis vitalitas melancholiae, ut supra monuimus, proxime subest. Sed si, quo morbi psychici per vitam abnormem organorum imaginationi inservientium producuntur, modum intelligimus, etiam qua functiones psychicae

juste dirigantur, ratio clarior appareat necesse est; ast in illa ipsa cura psychica consistit.

Ut cura cum felici absolvatur, effetu, contra morbum progignentia dirigenda utique videtur. Hinc principalis exsurget indicatio therapeutica statum vitalitatis mentis normalem restituendi.

Quem vero nunc praefiximus, scopus per sola pharmaca non assequitur, sed curam quoque psychicam seu moralem sibi adjunctam deponit, atque medicum humanum simul ac philosophum, ut qua aeger in medicum ducitur, fiduciam solam miranda praestitisse viderint practici. Et curam itaque in psychicam et somaticam dividere, summe necessarium nobis videtur, quarum singulam paucis nunc illustrabimus.

a) Cura psychica.

Quum de cura morali nobis sermo sit, id, quod paradoxum videtur, utrum psyche aegrotare possit, eruendum esse censemus.

Psyche, quam cogitamus solum, non materia esse potest, neque materiae productum; quod enim semet ipsum et materiam intueri valet, ens extra materiam positum sit, oportet; id, quod liberum est, necessitatis productum vix esse poterit.

Ut itaque psyche una sit, nullis mutationibus, hinc nec abnormi metamorphosi subjecta. Ve-

DISPENSARY

INDUSTRIAL MEDICAL SERVICE

DE

PLANT LABORATORY

PLANT LABORATORY

INDUSTRIAL MEDICAL SERVICE

PLANT

PLANT LABORATORY

INDUSTRIAL MEDICAL SERVICE

PLANT

INDUSTRIAL MEDICAL SERVICE

DE

PLANT LABORATORY

INDUSTRIAL MEDICAL SERVICE

PLANT

INDUSTRIAL MEDICAL SERVICE

PLANT LABORATORY

INDUSTRIAL MEDICAL SERVICE

PLANT LABORATORY

PLANT LABORATORY

rum enim immortalis hicce animus, quamdiu in corpore viget, inseparabili quodam nexu cum eodem unitur atque per hocce ipsum connubium cum corporis parte subtiliori, cum cerebro nempe, limites psyches ejusque agendi rationis ponuntur, per hoc ipsum, uti cuncta, quae organismum intrans, etiam psyche legibus vitae organicis subicitur atque quae corpus inter et animum intercedit, ratio quoque restituitur, qua, quas illud experitur, mutationes et huic communicantur, per quam et psyche corpus afficere valet, ut itaque hoc sub respectu nihil obstat, quo minus et psyche morbis tentetur.

Sanum jam saepius hominem affectus effrenes secum rapere, vel pathemata invincibili potestate detinere atque praedominium prae rationis autocratia adrogare sibi ita solent, ut ipsi summe difficilis eveniat emancipatio: sed affectus effrenis temporaneam constituit vesaniam atque ad cognitionem ducit, quam arduum suscipiat officium medicus, qui sese aegris psychicis curandis succingit.

Est vero cura psychica duplex; quae nimirum cuivis melancholiae convenit, universalis, atque quae individualibus et specialibus aegri rationibus adaptatur, cura specialis.

a) Cura psychica universalis.

Hujus curae propositum circa praedominium intellectus recuperandum versatur. Eundem plane

finem etiam educatio sibi praefigit; infantes enim non educati iisdem praeceptis et mediis ad plenariam rationis potentiam ducuntur atque psychiatricae tali modo cum paedagogice coincidit, seu potius nil aliud est ac paedagogice applicata ad morbos psychicos.

Fixa melancholico idea sola dominatur, nullusque eidem resistens voluntatis renisus, hinc nulla rationis potestas. Primum itaque curae psychiatricae fundamentum exacta obediendi i. e. voluntatem suam alienae subordinandi consuetudo sistit.

Otium nutrit melancholiam: labores vero tum somatici, tum distractiones psychiatricae et studia mentem ab interna divertunt submersione ac ad relationes cum mundo externo reducunt. Occupationes vero culturae gradui et reliquis aegri conditionibus adaptatae seligantur. Melancholicus coelum mutet, iter faciat per regiones vagans amoenas, siccas, moderate calidas, per objecta semper nova animum distrahentes, aegri attentionem excitantes, repraesentationem, phantasiae semper eandem obvolitantem, tali modo delentes, et exhilarantes. Curru et equo vectiones, venationes quoque commendantur, nisi quae contra bestias tradideris, arma ne contra semet ipsum convertat melancholicus, merito timeas.

Et si, commendantur, labores aegri perficiunt, iisdem exsequendis certum adimpleri temporis intervallum suadent periti.

Mentem etiam diverticulis, musica praeprimis exhilarasse juvabit. Musices in invertendam et exhilarandam mentem influxus summus est, ut quam incredibilia praestitisse experti sint medici.

Aegri praeterea fiduciam sibi acquirere, illique persuasionem imprimere, bono ipsius soli prospicere amicum se, ad laboret medicus. Ingenii utique summa acies, mentis perspicacitas, morumque candida castitas requiruntur, ut quod melancholiae subest, argumentum eruat et in quantum animus alienatus et perturbatus sit, perscrutetur, hisque notionibus conformiter agat.

β) Cura psychica specialis.

Hinc sane est, quod quilibet melancholicus pro culturae gradu, scientiis acquisitis, pro characterē et consuetudine diversis diverse tractetur dirigaturque. Timidus et depressus erigatur, imaginationis ludibria et phantasmata dispellantur incundo in falsam aegrorum fixamque repraesentationem, eamque per semet ipsam extirpando. Errant sane, qui argumentis, vel ubi non sufficiunt, minis solis curam psychicam absolutam ex asse testantur; hanc enim in affectibus, quos nonnisi temporaneam mentis alienationem esse supra monuimus, haud raro irritam esse adhibitam constat; id et profani noverant, quippe qui amorem e. g. difficultatibus sese obvolvuntibus augmenta capere contendunt. — Optimo saepe cum effectu principium morale, reli-

giosum in homine excitatur ac confirmatur. Hoc enim est optimum, quod residet in homine, quo ipsi humana tribuitur natura, circa quod, si deficiunt cuncta, cogitationum et actionum rationi conformium cardo versatur.

b) Cura physica.

Cura psychica multa, quandoque omnia praestat, ut tamen, quod ultimo diximus, nonnisi raro eveniat; cum animo semper corpus plus minusve turbatur: quare medendi scopus optime obtinetur, si psychicae cura physica jungitur.

Prima semper manebit indicatio, causas remotas inquirendi, easque amovendi, unde cura exoritur indirecta.

Melancholiam veteres omnem ex atra bile et acrimoniis derivarunt, hinc purgantibus drasticis therapiam omni numero absolutam esse arbitantes Helleborum praecipue qua specificum contra omnes vesaniarum formas adhibendum existimarunt. Sed Helleborus tantum praestat, quantum qua drastico illi convenit, nec virtutem specificam, sed cum pharmacis hujus ordinis communem possidet, et uti Helleborus, agit etiam Veratrum album, Gratiola, Colocynthides, Calomel etc.

Non raro fit, ut sanguis rivo justo vehementiori versus encephalum, vel uti veteres jam observarunt versus pulmones, cor, et vasa majora ruat;

ubi sanguinis depletiones tum locales, tum universales et medicamina antiphlogistica suo loco adhibentur.

Melancholia sub physica evolutione quoque adolescit et sub erotomelancholiae specie radices figit, juvenes cardiopulmo, respirii difficultate, anxietate, tussi molestat; virgines vero moliminibus ad catamenia difficilibus vexantur: catameniorum tum vel medente natura vel auxiliante medico turbis compositis erotomelancholia sponte cessat.

Quod hicce finis remediis antiphlogisticis, systema sanguiferum sedantibus, emenagogis, revelentibus, derivantibus ac per alvum evacuantibus obtineatur, facile quivis intelliget.

Stases in systemate venae portarum, haemorrhoidum fluxus turbatus, imminutus, suppressus, organorum abdominalium infarctus, indurationes, quos detinent, homines tristes, diffidentes, de vita sustentanda anxios, ne fame moriantur, timidos, et ubi sibi nullum amplius sciunt solatium, de sorte sua desperabundos reddunt et ad autochiriam usque instimulant. Cura ibi contra mala melancholiae ansam praebentia dirigenda; solventia ibi plurimum opis ferre suapte perspicitur.

Quae se - et excretionibus quibuscumque, uti haemorrhoeis, sudori, lactis secretioni suppressis originem debet vel quae ex morbis systematis cutanei, herpete, scabie, arthritide, rheumate etc. retropulsis, ex ulceribus inique cicatrisantibus oritur, melancholiae restitutis, quae supprimuntur.

functionibus optime medetur medicus, vel si, quae silent, se- et excretiones revocari non possunt, vicariae cujusdam secretionis munere denegatum resarcire studeat. In hunc finem antiphlogistica lenioria, diaphoretica, purgantia, irritantia, revelentia, adhibentur. Sic narrantur exempla, ubi fortuita scabiei insitio, alias ubi partialis casuque facta combustio melancholiam sanarunt (Hufeland).

Ubi cerebri et reliqui systematis nervosi asthenia melancholiam concomitatur, qualis, quae ex onania et Veneris abusu oritur, est, tum nervina, excitantia, rubefacientia indicata sunt.

Cerebri inversionem per remedia directe et specificè in illud agentia, per narcotica — sat saepe felici cum successu — conati sunt practici et in hunc finem Digitalem praeprimis, Hyosciamum, Belladonam, Aquam Laurocerasi, Stramonium, Camphoram, Moschum, Opium adhibuerunt, ultimum tamen hac cum circumspectione, ne congestio ad encephalum augeatur et alvus per se segnis diutius sistatur. Ex narcoticorum agendi modo jam elucet, ea nonnisi cautissima manu et in illis solum casibus dispensanda esse, ubi erethismum complacare urget necessitas: post narcoticorum abusum et diuturnum usum melancholiam amentia excipere solet.

Ut melancholiae therapiam ad finem perducamus, nunc de methodo alterante mentionem facere restat, quam tartaro emetico absolvere medici consuescunt. Tartarum stibiatum vel plena vel refracta

T h e s e s.

1. Qui in risum exolutus est ac nimium hilaris, medicus onerosus judicatur. (Hippocrates.)
 2. Laxatis dentibus laxantur et chyloseos officinae. (Bagliv.)
 3. Quilibet medicus psychiatrum se formet, utile.
 4. Sunt, qui simul et mortem metuant et mortem sibi consciscant. (Galen.)
 5. In nationibus cultis morborum psychicorum frequentia major.
 6. Morbi psychici ad nevroses relegandi.
 7. Qua aeger in medicum ducitur, fiducia sola interdum sanat.
 8. Oculus est mentis imago; hinc et mentis perturbationes indicat oculus.
 9. Non obstat, quo minus ophthalmia neonatorum contagiosa evadere possit.
 10. Tartarus stibiatus praestans in melancholia remedium.
 11. Quae in macrocosmo fiunt, metamorphoses in microcosmum redundant.
 12. Nisi putrescat organismus, mortuus non est habendus.
-





Dissertationes
medico-
practicæ.